[illegible] Martini Casimiri: Quaestio meteo-
rologica de fluxu et refluxu maris —

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO METEOROLOGICA

DE

FLUXU ET REFLUXU MARIS

Ex Secundo Libro Meteororum Aristotelis

DESUMPTA

ET

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini,

D. M. JACOBI BALTAZAROWIC,

S. TH: DOCTORIS, ET PROFESSORIS, Collegij Maioris Senioris Patris, Ecclesiarũ, Cathedralis Crac: CANONICI, Collegiatæ SS: Omnium PRÆPOSITI, Curati Prossouiensis, Contubernij Staringeliani PROVISORIS,

Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, GENERALIS, & VIGILANTISSIMI

RECTORIS,

A

M. MARTINO CASIMIRO SŁOWIKOWSKI

Philosophiæ Doctore & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Cracouiensi CANONICO, Syndico Uniuersitatis, Causarum Officij Rectoralis Notario, Contuberxij Hierosolymitani Seniore

Pro Loco in Collegio Minori.

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio,

PVBLICÈ ad DISPVTANDVM

PROPOSITA.

Anno Domini 1684. Die 15. Mensis Iulij Horâ 10.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO METEOROLOGICA.

VFluxûs, & Refluxûs Maris; quod diuersis motibus agitatur; nec vbiq; reciprocum æstum vniformem, & similem habet: Luna, maximam vim in humida sublunaria exercens, sit Causa efficiens nec ne?

CONCLUSIO I.

Datur fluxûs, & refluxûs Maris.

COROLLARIA.

I. *Finis proximus fluxûs, & refluxûs Maris, alius conuenientiùs assignari nequit, nisi aquarum purgatio, nè continuâ quiete aquæ putrescant.*

II. *Rationem finis externi, benè explicat prouidentia Dei, vt per Maris æstus, commodè nauigatio expediatur.*

III. *Quod sanguis in animali, occultè per diuersas venas, magis minusuè latas, per totum Corpus, sursum, deorsum, ante, retro, decurrendo: hoc in globo terrestri, aqua ex mari per diuersos terræ meatus diffluendo, fontibus & fluminibus præstat.*

IV. *Mare & si per diuersas venas sub terra occultas, transeat ad diuersa flumina; necnon multa eius pars, in àërem & halitus conuertatur, est tamen indeficiens & æquale.*

V. *Aquæ Marinæ, ex natura sua salsæ & amaræ, per dulcedinem venarum terræ, per quas transeunt saporem suum immutant.*

CONCLVSIO II.

Mare diuersis motibus agitatur.

COROLLARIA

I. *Sex potissimùm principalia maria ab Hydrographis numerantur: mare Oceanum, Mediterraneum, Adriaticum, Rubrum, Persicum, & Caspium.*

II. *Præter Communem rebus naturalibus grauitatis motũ, quo deorsum deprimuntur, dantur in mari alij motus.*

III. *Motus, quo Mare, nunc in hanc, nunc in illam partem propellitur, causatur à ventis.*

IV. *Præter ventorum agitationem, quædam Maria fluunt motu proprio ab Oriente in Occasum, quædam à Septemtrione in Austrum: vt Mare Oceanum & Mediterraneum.*

V. *Reperitur præterea in Mari motus reciprocationis seu æstûs dictus quo mare reciprocâ agitatione, nunc versus littora vrgetur, nunc in se redeundo subsidere deprehenditur.*

CONCLUSIO III.

MAre non vbiq; reciprocum æstum vniformem & similem habet.

COROLLARIA.

I. *In quibusdam Maris tractibus, vt in Ligustico, Narbonensi, Tyrrheo, aut nulli, aut certè perexigui: in aliquibus verò, vt in plaga Indiæ, ad Gangem & Begaram, in mari Rubro, Flandrico, Britannico, Lusitanico, maximi æstus Marini reperiuntur.*

II. *Aestus Marini, non vbiq; idem temporis spatium intumescendo, residendoq; consumunt.*

III. *Prouenit ex motu Lunæ periodico, vt non eodem diei tempore, sed vnâ die tardius, altera propè hora citius Oceanus intumescere incipiat ac desinat.*

IV. *Datur tàm insolens æstuantis Maris impetus ac vis, ad Oram præcipuè nouæ Guineæ; vt vix naues; ne patiantur naufragium, tribus anchoris valeant teneri.*

V. *Flumina vicina mari, quædam intrando, ob æstum maris, minimè retrocedunt; quædam maximè.*

CONCLVSIO IV.

LUna, quæ maximam vim habet in humida sublunaria, est Causa Efficiens fluxus & refluxûs Maris.

COROLLARIA.

I. *Imprudenter arbitrabantur Stoici, qui mundum Animal quoddam esse compositum ex varijs Elementis, & Spiritu præditum, nares in profundo Maris habens, quibus anhelitum emittens, fluxnm; attrahens refluxum Oceani causari asserebant.*

II. *Nec conuenientius Apollonius Thianeus sensit: qui mare à Spiritibus partim sub, partim circa ipsum anhelantibus, nunc propelli, nunc repelli affirmabat.*

III. *Lunare Sidus, ex natura sua omnes alios Planetas humiditate superat.*

IV. *Intantum Lunæ attribuitur causa accessûs, & recessûs Maris, in quantum Solis promouetur, foueturq́; aspectu.*

V. *Reciprocatio æstûs Marini, tempore pleniluniorum principalitèr causatur ex rarefactione: tempore verò Nouiluniorum, ex condensatione àëris. Lunari globo ad regionem vsq́; telluris circumfusi.*

Mari gratiarum in exhausto.

D. O. M.

Laus Honor & Gloria.



Permissu Magnifici D. RECTORIS.